

Apostolica Sede cum principibus in ita de relationibus Ecclesiae et Status, certo sunt legitima.

Constat 1° *praxi Ecclesiae*.

Romani enim Pontifices multa hujusmodi concordata, recentioribus praesertim temporibus, inierunt, et ex eorum fideli observatione ingens emanavit lucrum animarum.

Constat 2° *ratione*.

Per concordata, Romanus Pontifex nonnulla concedit principibus temporalibus privilegia; et principes, ex sua parte, vel aliqua privilegia Ecclesiae largiuntur, vel saltem solemniter se obstringunt ad certa quaedam officia, aliunde jam debita, non dene-gandum. Atqui opportunum est quandoque tales inire conventiones. Licet enim per illas papalis jurisdictionis exercitium aliquatenus restringatur, attamen quae a principibus obtinentur saepe majora mala praecavent, et semper jura Ecclesiae efficacius ab injuria praeservant.

**Resp.** 2° Religiosa concordatorum observatio nunquam plenitudini jurisdictionis pontificiae quidquam detrahere potest. Inter auctores controvertitur quae sit natura obligationis vi concordatorum Papae incumbentis. Quidam affirmant ea vim habere pacti et proprie dicti contractus; quidam vero negant, praesertim quando princeps, acceptis privilegiis, nihil aliunde spondet praeter id quod aliunde ab illo Ecclesia posset exigere; tunc enim volunt concordatum potius habere rationem privilegii. Quidquid sit, Papa ad concordatum religiose servandum tenetur, saltem ex promissione data, ac proinde ex justitia naturali, quae dictat standum esse promissis.

Attamen, quia plenitudinem potestatis sibi a Christo commissam Papa nec licite nec valide alienaret, hinc est quod semper in hisce concordatis subaudiatur conditio: nisi aliud exigat causa gravis et extraordinaria propter bonum commune. Quod enim ratione boni communis conventum est, perseverare nequit si bono communi adversetur. At, de hac causa, utpote in re spirituali, judicare, ad solam potestatem spiritualem pertinet; ac proinde, nunquam propria determinatione et Papa non consentiente, princeps potest concordatum abrogare aut abrogatum declarare; et ideo, donec annuerit Ecclesia, lege concordati tenetur, nec ipsi fas est illud infringere.

#### DISSERTATIO QUARTA

DE DIVINA ASSISTENTIA ECCLESIAM IN SUAE POTESTATIS EXERCITIO  
EFFICACITER ADJUVANTE

374. Deo non sufficit Ecclesiae omnem contulisse potestatem missioni suae implendae necessariam; sed ad promissiones suas exsequendas, ei efficacem tribuit assistentiam, qua fit prorsus indefectibilis, et hoc praestat, sive servatis generalibus divinae suae providentiae legibus, sive agendo, prout opportunum duxerit, praeter aut supra, aut etiam contra has leges.

Utitur autem ad hunc finem legitimo potestatis ecclesiasticae exercitio, efficiendo nimirum ut Ecclesia, et suam auctoritatem, quando oportuerit, exerceat,



et cum debito fructu exercent. Sed una e praecipuis et maxime necessariis conditionibus, ad fructuosum auctoritatis spiritualis exercitium, est infallibilitas, de cujus existentia jam supra dictum est, et cujus natura et objectum nunc speciatim considerata sunt. Sint igitur quinque quaestiones.

QUAESTIO I<sup>a</sup>

Qua ratione generali Deus, per legitimum auctoritatis spiritualis exercitium, Ecclesiae suae indefectibilitati provideat?

**375. Resp.** Ecclesiae indefectibilitas, ex supra dictis, includit duo : 1<sup>o</sup> perpetuitatem in duratione ; 2<sup>o</sup> incolumitatem in conservatione. Ecclesia enim in tantum est indefectibilis, in quantum durat ad usque saeculi consummationem, et durando servat dotes a Christo acceptas. Igitur Deus providet ejus indefectibilitati, dum, ex una parte, Ecclesiam efficaciter movet ad sumenda omnia media suae durationi et incolumitati necessaria, et, ex altera parte, hisce mediis virtutem tribuit ineluctabilem.

1<sup>o</sup> Ecclesia, Deo efficaciter movente, sumit omnia media suae perpetuae durationi necessaria. Ad hanc quippe perpetuam durationem :

a) Necessarium est ut generationes fidelium sibi sine interruptione succedant ; et hoc Ecclesia obtinere nititur, Christianorum filios baptizando, edocendo, et ad mandatorum observationem informando.

b) Necessarium est ut nunquam desint clerici in variis hierarchiae gradibus constituti ; et hoc Ecclesia obtinere nititur, ministros eligendo, consecrando

et mittendo, qui ministris jam antea institutis succedant.

c) Necessarium est ut praesto adsint subsidia temporalia ; et hoc Ecclesia obtinere nititur conveniente bonorum temporalium usibus sacris destinatorum acquisitione, administratione et elargitione.

2<sup>o</sup> Ecclesia, Deo efficaciter movente, sumit omnia media suae conservationis incolumitati necessaria. Ad hanc quippe necessaria est incolumitas Unitatis, Apostolicitatis, Catholicitatis et Sanctitatis.

Jam vero a) ad incolumitatem Unitatis, tum in fide tum in regimine, conducunt sententiae doctrinales pro controversiis fidei dirimendis, sollicitudo in eligendo capite visibili, et in ejus auctoritate juribusque constanter et alacriter tuendis.

b) Ad incolumitatem Apostolicitatis, plurimum faciunt, studium arcendarum novitatum in doctrina, necnon zelus contra omnes intrusos pastores qui cum Romano Pontifice non communicant.

c) Ad incolumitatem Catholicitatis, conferunt missiones illae, quas, afflante Spiritu sancto, apud gentes extraneas Ecclesia quotidie aggreditur, sustentat, auget, et quarum ope regiones novas propriae extensionis efficit participes.

d) Ad incolumitatem Sanctitatis, Ecclesia invigilat ne media sanctificationis a Christo data deficiant ; incepta et instituta sanctitati procurandae apta approbat et suis beneficiis complectitur ; et opportunas condit leges pro fidelium, clericorum et religiosorum disciplina ac reformatione.

3<sup>o</sup> Ad Deum pertinet efficere ut praefatorum mediorum adhibitio fructu suo non frustretur,



nempe, v. g. providendo ut Sacramenta valide ministrantur; ut convenienter suscitentur sacrorum dispensatores, qui subveniant spiritualibus fidelium necessitatibus; ut per christianorum largitiones, suppeditentur subsidia temporalia quibus Ecclesia indiget; ut ejusdem ministerium sufficientefecunditate donetur. At potissimum ad hanc indefectibilem servandam utitur dono infallibilitatis, de quo paulo latius dicendum.

QUAESTIO II<sup>a</sup>

In quo consistat donum infallibilitatis a Christo Ecclesiae concessum?

(Vide Brugère : *de Eccl.*, 14, 15. — Mazella : *de Rel. et Eccl.*, n. 780... 794.)

376. Resp. 1<sup>o</sup> Nonnulla praemittenda sunt circa infallibilitatem in genere. Est autem infallibilitas in genere immunitas ab errore, excludens non tantum factum erroris, quo sensu vocatur potius *inerrantia*, sed ipsam errandi possibilitatem.

Alia est *essentialis*, seu, solius Dei propria; alia *participata*, quae creaturis a Deo communicatur; et haec dicitur *naturalis*, quando est secundum vires et exigentiam naturae, v. g. ea quae consequitur evidentiam; dicitur autem *supernaturalis*, quando est praeter exigentiam et vires naturae.

Infallibilitas Ecclesiae dividitur in *passivam*, seu, infallibilitatem *in credendo*, cujus subjectum est universa Ecclesia complectens pastores et simplices fideles; et in *activam*, seu, infallibilitatem *in docendo*, cujus subjectum sunt soli pastores quibus competit supremum magisterium.

Utraque infallibilitas invenitur in Ecclesia, quia vi utriusque efficaciter impeditur ne Ecclesia audiens separetur ab Ecclesia docente, quae separatio foret Ecclesiae a Christo institutae destructio. Christus enim dicens : *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi adversus eam non praevalent*, promittit simul congregationem fidelium semper esse supra Petrum aedificandam, id est, semper adhaesuram auctoritati docenti, et sic adhaerendo, semper debellaturam inferorum portas. Unde infallibilitas passiva supponit activam, et eam necessario consequitur; de sola ergo infallibilitate activa dicendum habemus.

2<sup>o</sup> Infallibilitas Ecclesiae activa definitur : *Illam praerogativa positive a Deo Ecclesiae concessa qua, per assistentiam Spiritus sancti, in doctrina de fide et moribus definienda, ab omni errore praeservatur immunis.*

Dicitur 1<sup>o</sup> *praerogativa qua ab errore Ecclesia praeservatur*; quia non est simplex factum inerrantiae, quod in multis singulorum hominum assertionibus observatur, sed est dos eximia excludens etiam errandi possibilitatem.

Dicitur 2<sup>o</sup> *praerogativa positive a Deo concessa*, quia non tantum est infallibilitas participata, sed etiam superans vires et exigentias naturae, seu, *supernaturalis*.

Dicitur 3<sup>o</sup> *qua per assistentiam Spiritus sancti.* Haec assistentia est specialis directio Dei qua, in veritatibus jam revelatis custodiendis, tuendis, exprimendis et explicandis, aliquis ab omni praeservatur errore.



Hinc differt a revelatione, quae ordinatur ad veritatis alicujus manifestationem, ita ut, ratione hujus manifestationis, veritas credi debeat fide divina; assistentia autem supponit veritatem jam revelatam.

Differt etiam assistentia ab inspiratione, qua quis ita impellitur ad loquendum aut scribendum, ut id quod scribit aut loquitur sit vere Dei verbum, quia Deus per ipsum loquitur aut scribit; assistentia autem talem non includit Dei impulsus, sed meram directionem, qua error arcetur a definitionibus Ecclesiae, quin illae definitiones haberi debeant ut Dei verba.

At divina assistentia non excludit humanam industriam qua sedulo veritas inquiritur. Imo talis inquisitio ad definiendum praerequiritur, saltem ex praeecepto; definiens enim, non praemisso examine, Deum tentaret. An autem illud examen necessarium sit necessitate medii, sic quod definitio absque eo lata non haberet auctoritatem et errori foret obnoxia? Communiter negant theologi, eo quod Christi promissiones de assistentia praestanda sunt absolutae. Sed, etiamsi talis necessitas admitteretur, nihil refert ad praxim; quia Deus promittendo suam Ecclesiae definienti assistentiam, eo ipso promittit se provisurum ne deficiat inquisitio. Secus, sub colore insufficientis inquisitionis, sententiae doctrinales Ecclesiae facile eluderentur. Itaque, si forsitan contingeret auctoritatem docentem velle imprudenter definire aliquid falsum, Deus id non permetteret, nec ipsi deessent media propositam definitionem impediendi.

Dicitur 4<sup>o</sup> in doctrina definienda. Id enim tantum definitur quod auctoritas docens intendit assensui nostro obligatorie imponere. Id autem omne quod in ora-

tione definiens includitur non est hujusmodi; v. g. inquisitiones praehabitaе quae ibidem memorantur, documenta allegata, rationes allatae, aut incidenter dicta. Itaque, sedulo notandum est quid praecise declaratur credendum, et hoc solum est objectum definitionis; quoties vero de sensu definitionis adest dubium probabile, urgenda non est obligatio credendi, donec auctoritas docens pronuntiaverit.

Dicitur 5<sup>o</sup> in doctrina de fide et moribus. Talis est autem omnis veritas, sive revelata, sive cum revelatis connexa, sensu infra explicando. Quae veritas, si sit speculativa, dicitur speciatim pertinere ad fidem; si sit practica, dicitur pertinere ad mores. Sed id fusiori et clariori indiget expositione in sequentibus quaestionibus tradenda.

#### QUAESTIO III<sup>a</sup>

Quodnam sit in genere objectum infallibilitatis Ecclesiae?

(Vide Mazella : *de Rel. et Eccl.*, n. 805... 826; — Knoll : *Theol. gen.*, §234... 242. — Hurter : *Theol. gen.*, n. 380... 392.)

377. Resp. Videri potest 1<sup>o</sup> Ecclesiam non esse infallibilem circa veritates scientificas, etiam in verbo divino contentas. Non enim accepit donum infallibilitatis, nisi ut fideles per eam in viam salutis tuto dirigantur. Atqui veritatum scientificarum certa cognitio non refert ad salutem.

2<sup>o</sup> Insuper, systema Copernicanum in Galilaeo damnatum est ab Urbano VIII, eo quod falso judicaretur repugnare Scripturae. Ergo circa sensum Scripturae in rebus scientificis errare potest Ecclesia.



3° Praeterea, videri potest infallibilitatem Ecclesiae ad veritates formaliter in se revelatas esse restringendam. Nam Christus ipse dixit Apostolis: *Spiritus suggeret vobis omnia quaecumque dixerō vobis* (Joan., XIV, 26). Ad hoc ergo datus est Spiritus sanctus, ut veritates a Christo formaliter revelatas suggerat; ergo non ut alias.

4° Insuper, assignari non potest qua fide credenda essent definita ab Ecclesia et non formaliter revelata. Non enim credi possent actu fidei divinae, secus, omnis propositio ab Ecclesia damnata evaderet haeretica; nec etiam actu fidei humanae, siquidem non credens Ecclesiae definienti peccat contra veracitatem divinam.

378. Sed contra est quod, juxta praedicta, nimium coarctaretur infallibilitas Ecclesiae, ac potius standum sit duabus regulis quae passim a theologis traduntur, et quarum una est speculativa, et altera practica.

**I. Regula speculativa: Ecclesia est infallibilis**  
1° *in docendo doctrinam formaliter revelatam, sive ad dogmata speculativa, sive ad veritates practicas pertineat; 2° in iis omnibus quae habent nexum cum incolumitate fidei aut morum, ita ut, si Ecclesia circa res hujusmodi erraret, jam apud Christianos fidei depositum aut morum, vel sanctitas integra non servaretur.*

1<sup>a</sup> pars de doctrina formaliter revelata clare constat; quia illud saltem objectum exprimitur in verbis Christi: *Docentes omnia quaecumque mandavi vobis... Praedicate Evangelium.* Insuper, ad hoc institutum est magisterium, ut non simus veluti *parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento*

*doctrinae.* Sed illa ratio urget praesertim pro erroribus praeveniendis, quae directe fidei contradicunt, ut patet. Et ideo, Ecclesia infallibiliter docet ea omnia quae ab initio mundi usque ad tempora Apostolorum revelata sunt, quia ea omnia ad Evangelium, seu ad substantiam doctrinae christianae pertinent.

2<sup>a</sup> pars de iis quae, licet formaliter non revelata, nexum habent cum incolumitate fidei aut morum, probatur:

1° *ex Litteris apostolicis Pii IX ad archiep. Frisingensem, 11 Dec. 1862, in quibus omnino reprobat* sententia negans Ecclesiam: « ex potestate sibi a divino suo auctore commissa, non solum jus sed officium habere... damnandi omnes errores, si ita fidei integritas et animarum salus postulaverint. » Porro facultas damnandi omnes errores, quorum damnatio interest fidei et morum, evidenter includit jus definiendi omnes veritates his contrarias.

2° *ex fine Ecclesiae.* Ideo Ecclesia auctoritatem docendi a Christo accepit, ut depositum fidei morumque integritatem servaret, et in hoc munere implendo efficaciter a Deo adjuvatur. Atqui, ad depositum fidei morumque integritatem custodienda, saepe necessarium est ut reprobentur assertiones etiam non haereticas, seu, non oppositae veritatibus formaliter revelatis. Error enim circa veritatem virtualiter tantum revelatam, brevi vergit in detrimentum principii revelati ex quo illa veritas deducitur, et nonnunquam eo periculosior est, quo dolosius latet et sic incautos facilius decipit. Pariter oecumenicitas concilii, vel legitimitas Pontificis Romani sunt veritates formaliter non revelatae, et quae tamen negari aut in questionem



poni nequeunt, quin ruat auctoritas decretorum concilii aut Papae, et hoc sane esset in praejudicium fidei et morum; unde oportet ut Ecclesiae iudicium circa huiusmodi facta sit infallibile.

3<sup>o</sup> *ex praxi a pluribus saeculis vigente.* A concilio Constantiensi ad usque tempora recentiora, Ecclesia multoties damnavit propositiones absque nota haereseos, et hisce condemnationibus exegit ut fideles assensum praestarent. Ergo iudicavit se esse infallibilem, etiam in docendo veritates non formaliter revelatas. Porro, ex dicendis in sequenti regula, Ecclesia errare nequit in determinando suae infallibilitatis objecto.

**II. Regula practica :** *Quotiescumque ab auctoritate suprema docente, aliquid omnibus Christianis credendum proponitur aut supponitur, illud iudicari debet ad objectum infallibilitatis Ecclesiae certo pertinens.*

Sic, v. g., Papa Leone XIII dogmaticum decretum ferente, unum proponitur nempe : veritas in decreto definita; et aliud supponitur credendum, nempe : Leonem XIII esse legitimum Christi Vicarium; utrumque tanquam inconcussum admitti debet, ac proinde utrumque sub infallibilitatis objecto includitur :

Etenim 1<sup>o</sup> Quotiescumque, in exercitio suae auctoritatis, Ecclesia aliquid proponit aut supponit ab omnibus fidelibus credendum, eo ipso iudicat sibi competere jus exigendi assensum ei quod sic ab ea proponitur aut supponitur. Atqui in hoc ferendo iudicio Ecclesia est certe infallibilis; siquidem iudicium illud est de doctrina revelata. Pertinent enim ad doctrinam revelatam objectum et extensio auctoritatis ecclesiasticae;

absurdum quippe est Christum Ecclesiae suae jus contulisse docendi ac regendi, simulque non determinasse juris illius objectum et extensionem.

2<sup>o</sup> Si Ecclesia errare posset aliquod jus sibi attribuendo, ergo unusquisque, priusquam ei imperanti praestet obsequium, examinare posset ac deberet utrum id quod ab ea praecipitur sit revera de ejus foro; et casu quo contenderet hanc juris sui limites excessisse, a nullo iudice infallibili convinceretur; ac proinde nullum adesset medium comprimendi rebellantium contumaciam.

Hinc patet quam merito Pius IX, in Encycl. *Quanta cura*, declaraverit dogmati catholico contrariam, doctrinam eorum qui contendunt posse assensum et obedientiam, absque peccato et absque ulla catholicae professionis jactura, detrectari Apostolicae Sedis iudicii et decretis, habentibus pro objecto bonum generale Ecclesiae *eiusdemque jura.*

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 377.

379. *Ad 1.* Si adversarii consequenter loquerentur, dicerent Ecclesiam non potuisse definire Spiritum sanctum a Filio procedere, aut animam hominis esse per se et essentialiter corporis formam. Nam primum dogma non videtur referre ad salutem, et secundum est veritas scientifica. Dicendum igitur revelationem cujuscumque veritatis satis referri ad salutem : 1<sup>o</sup> quia obligat ad actum fidei, quo Deus glorificatur et homo sanctificatur; 2<sup>o</sup> quia cognitio veritatis ad Dei attributa melius percipienda conducere potest ac debet, et sic sensum religiosum in nobis corroborare.

380. *Ad 2.* Falsum est a supremo Ecclesiae



magisterio reprobatur fuisse systema Copernicium.

Duae tantum proferuntur circa hoc systema condemnationes. Prima consistit in prohibitione quorundam librorum Copernici, necnon aliorum de eodem argumento tractantium. Qui libri ad tempus prohibiti fuerunt, non quasi ipsa theoria judicaretur erronea, sed quia propugnabatur textibus adductis ex Scripturis, obstinate et spretis gravissimis theologorum monitis; quae damnatio certe nihil probat.

Alia fuit condemnatio systematis ipsius a Cardinalibus Inquisitoribus sub Urbano VIII. Sed haec sententia nequaquam fuit a S. Pontifice confirmata, et ideo non fuit decretum universae Ecclesiae propositum.

Sane deest omnino decreti confirmatio explicita. Sic enim illum decretum concluditur: « Ita pronuntiamus, nos Cardinales infrascripti », et dein sequuntur nomina septem Cardinalium. At nullibi exhibetur Pontifex aut pronuntians, aut pronuntiata confirmans. Pariter, in Galilaei abjuratione, solius Inquisitionis sancti Officii fit mentio.

Deest etiam confirmatio implicita. Illa enim deduceretur, vel ex mandato Papae facto Inquisitoribus, et quod in decreto memoratur, vel ex alio sacrae Congregationis Indicis decreto contra idem systema, et in praefata etiam Inquisitionis sententia invocato; nullum enim aliud documentum afferri potest. Atqui ex neutro concludere licet ad implicitam Pontificis approbationem.

Non ex primo: quia ibidem agitur simpliciter de mandato *generali* Inquisitoribus dato, ut qualificarent Galilaei propositiones; non autem de mandato *speciali*,

quo Papa qualificationem faceret suam, et ad Ecclesiam dirigeret.

Non ex secundo: illud enim Indicis decretum memoratur, nulla habita mentione Pontificis hoc acceptantis et ad Ecclesiam dantis. Verum est Bellarminum, in quadam testificatione Galilaeo concessa, affirmare praefatum Indicis decretum cum sententia Pontificis convenire, et nihil aliud esse quam ejusdem promulgationem. Sed quod aliqua Congregatio emisit sententiam sententiae Papae conformem, significat sententiam Papae privatam fuisse a Congregatione adoptatam et in lucem editam, sed nullo modo Papam voluisse hanc eandem sententiam dogmatice definire ex cathedra.

381. *Ad 3.* Christus, in *textu citato*, promittens assistentiam pro formaliter revelatis, eam non excludit pro aliis, et eo minus excludit, quod, ad integritatem formaliter revelatorum, oporteat Ecclesiam multa formaliter non revelata recte cognoscere ac definire. Insuper, in alio loco, Christus assistentiae suae promissionem verbis generalioribus exprimit, dicens: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* (Joan. XVI, 12, 13.)

382. *Ad 4.* Nonnulli tenent cum Suarezio, quidquid definit Ecclesia credendum esse actu fidei divinae. Infallibilitas enim Ecclesiae est dogma formaliter revelatum, quod aequivalet huic propositioni: *Omne quod Ecclesia definit verum est.* Porro veritas uniuscujusque definitionis in praefata propositione enuntiat, sicut pars in toto. Ergo censetur revelata cum



infallibilitate Ecclesiae; sicut in hac propositione formaliter revelata: *Omnes homines a Christo iudicabuntur*, revelatum est, juxta communem sententiam, talem hominem, Petrum v. g., esse a Christo iudicandum.

At rectius sentiunt qui negant, ob solam Ecclesiae definitionem aliquid esse de fide divina credendum; alioquin omnibus propositionibus ab Ecclesia damnatis conveniret nota haereseos, quod falsum est. Nec contrarium probat exemplum allatum ex hac propositione: *Omnes homines a Christo iudicabuntur*. Non enim eodem modo veritas ab Ecclesia definita includitur in hac universali propositione: *Quidquid definit Ecclesia verum est*, ac illa propositio: *Petrus a Christo iudicabitur*, continetur in hac universali: *Omnes homines a Christo iudicabuntur*. Deus revelando omnes homines esse iudicandos, revelat implicite, sed formaliter, Petrum esse iudicandum. At revelando verum esse quidquid definit Ecclesia, non censetur formaliter, etiam implicite, revelare singulas propositiones ab Ecclesia definitas, v. g.: quinque propositiones Jansenii in libro *Augustinus* contineri, aut S. Benedictum Josephum Labre in coelis regnare. Ergo veritas ab Ecclesia definita, si antea non erat formaliter definita, non est credenda actu fidei divinae.

Neque tamen illa fides dici potest humana, ad instar illius qua credimus facta ab auctoribus profanis fide dignis relata. Auctoritas enim Ecclesiae non est simpliciter humana, sed divinitus facta infallibilis, et divinitus revelata, a qua si deciperemur, Deus ipse nos in errorem induceret. Assensus ergo datus verita-

tibus non formaliter revelatis et definitis ab Ecclesia, mediate nititur motivo veracitatis divinae, et vocatur communiter actus *fidei ecclesiasticae*.

QUAESTIO IV<sup>a</sup>

Quomodo intelligenda sit Ecclesiae infallibilitas circa mores?

383. Resp. Inter veritates practicas, aliae sunt immutabiles, quia, vel ex rerum essentiis profluunt, v. g. praeceptum diligendi Deum, vel ex immutabili Dei decreto pendent, seu, sunt juris divini positivi, v. g. requisita ad valorem sacramentorum; — aliae sunt mutabiles, quia Ecclesiae voluntati subjacent, et temporibus atque personis attemperandae. Veritates prioris generis designantur simpliciter sub nomine *morum*, et posterioris generis, sub nomine *disciplinae*.

I. Res *morum* simpliciter dictae, seu necessariae, pertinent ad objectum infallibilitatis; quia continentur aut formaliter aut virtualiter in revelationis deposito. Hinc Ecclesia infallibiliter definit v. g. usuram esse illicitam, talem contractum esse contra legem naturalem. Item non potest errare, quando declarat quatenam requirantur ad sacramentorum validitatem. Quando autem Ecclesia solvit casus conscientiae sibi propositos, semper subauditur clausula: *attentis expositis*; at de veritate expositorum Ecclesia non iudicat infallibiliter, nisi necessarium sit ad incolumitatem fidei aut *morum*. Sic v. g. infallibiliter iudicavit sanctam Apolloniam ex Spiritus sancti inspiratione semetipsam in ignem projecisse; secus, non potuisset



eam uti martyrem honorare cultu publico, quia talis actio, seposita speciali inspiratione, est illicita.

II. Disciplina autem ecclesiastica non pertinet ad objectum infallibilitatis, nisi habeat pro se iudicium Ecclesiae universalis, aut iudicium Papae ad universalem Ecclesiam directum; quia, ex dicendis, solis iudiciis huiusmodi infallibilitas competit. Haec porro disciplina est, vel praeceptum ecclesiasticum, vel praxis aliqua usu recepta, quamvis non obligatoria.

Quibus positis, dicendum est in rebus disciplinae tria esse consideranda: 1° veritas in qua, tanquam principio, talis disciplina nititur; v. g. praeceptum communionis sub unica specie nititur hoc principio, quod Christus aequae sub unica specie continetur; item, usus invocandi Sanctos supponit eos pro nobis intercedere in coelis; 2° res ipsa quae praecipitur aut approbatur; 3° utilitas quam Ecclesia intendit ex re quae praecipitur aut approbatur, v. g. servandi SS. Sacramento reverentiam per communionem sub unica specie panis. — Jam vero, sub triplici praedicto respectu, res disciplinae pertinent ad objectum infallibilitatis:

1° Ecclesia nunquam errat circa veritatem in qua, tanquam principio, aliqua disciplina nititur; quia talem disciplinam praecipiendo aut approbando, implicite profitetur et definit praedictam veritatem. Sic v. g. ex exorcismis qui fiunt supra infantes baptizandos, merito concluditur eos esse sub potestate diaboli.

2° Ipsa res quae praecipitur aut approbatur pertinet, eo sensu saltem, ad objectum infallibilitatis, quod Ecclesia nunquam jubeat aut permittat ut operemur aliquid malum, nec unquam prohibeat id quod esset

absolute et ex omni parte bonum. Ecclesia enim aliquid jubendo aut approbando, practice definit id quod jubet aut approbat esse bonum, et aliquid prohibendo, declarat id esse malum sub aliquo saltem respectu. — At minime necessarium est, ut Ecclesia semper id praecipiat quod est optimum; nec enim Deus ita praecipit.

3° Utilitas demum alicujus disciplinae, in ordine ad finem quem intendit Ecclesia, certo pertinet ad objectum infallibilitatis, modo sumatur universaliter. Nisi enim alicujus disciplinae observatio haberet hanc utilitatem, jam deesset ratio praecipiendo aut approbandi; at certe praecipiendo aut approbando, Ecclesia implicite definit se habere justam praecipiendo aut approbandi rationem.

Non repugnat tamen in aliquo casu particulari deficere disciplinae utilitatem. Tunc, vel cessat praeceptum propter incommoda, vel adest ratio sufficiens ab eo dispensandi. Quidquid sit, Ecclesia disciplinam aliquam statuendo aut probando, non attendit ad casus particulares, sed ad generalem fidelium utilitatem.

#### QUAESTIO V<sup>a</sup>

Utrum Ecclesia infallibiliter judicet de factis dogmaticis aut moralibus?

384. Resp. Praemittenda est facti dogmatici et moralis definitio. Factum dogmaticum, ut sic, est factum non revelatum, sed cum dogmate ita nexum, ut illius facti cognitio necessaria sit ad dogma edocendum, vel purum tutumque conservandum. — Factum morale, ut sic, est factum non revelatum, sed quod cum moribus ita nectitur, ut cognitio ejus necessaria sit ad